No 10

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS PEARSON SMITH,

ANGLUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

——— *Dolor ipse disertum Fecit.*

OVID. Metam. xiii. 228.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,

ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

M DCC XCIX.

PATRI SUO CARISSIMO,

HOC OPUSCULUM,

PIETATIS MONUMENTUM,

SACRUM VULT,

JACOBUS PEARSON SMITH.

CORRIGENDA.

P. 1.	L. 6.	*poſt* ligamentis *dele* comma.
10.	13.	*pro* adhoc *lege* ad hoc.
17.	20.	*pro* et *lege* eſt.
18.	16.	*pro* ſana *lege* ſano.
	21.	*poſt* ſponte *d.* comma.
19.	15.	*pro* nonpotuit *lege* non potuit.
21.	6.	*pro* tempories *lege* temperies.
23.	6.	*ante* ex *adde* ut.
27.	5.	*poſt* corpus *d.* dum ſtimulat.
31.	14.	*pro* generlis *lege* generalis.

Mr. Fullerton with
compts. from the
Author.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

AUCTORE, JACOBO PEARSON SMITH.

FFECTIO, de quâ agitur, veteribus, quippe agræ confusa, parum nota, nedum intellec- videtur. Aretæus eandem *Arthritidis*, quâ eralem omnium articulorum dolorem intel- t, nomine descripsit: pedibus affectis, Poda- n; coxarum ossibus seu ligamentis, tentatis, *iaden;* manu laborante, Chiragram vocat *.

A Romani

* De Causis Morb. Acutor. et Diuturn. lib. 2. cap. p. 66.

Romani pariter ſcriptores rheumatiſmum p dagræ ubique intermiſcent; binas has affecti nes generali *morbi articularis* nomine vocant.

Ballonius, medicus Pariſienſis, rheumatiſmu ab aliis vitiis, quæ machinæ humanæ junctur præcipuè afficiunt, primus ſecrevit; idoneamq inſtituit medendi rationem, quam medici pe tiores, inter quos eminet Riverius et Sydenh mus, exinde ſecuti ſunt.

Cullenus autem celeberrimus noſtram de h re ſcientiam maximè emendavit, et auxit. Pr cipua mali ſigna his verbis depingit.

" Morbus ab externa, et plerumque evide
" cauſa; pyrexia; dolor circa articulos, m
" culorum tractum ſequens, genua et reliqu
" majores, potius quam pedum vel manu
" articulos, infeſtans, calore externo auctus.

" Variat ſede; hinc
" In muſculis coxendicis,
" *Iſchias Rheumaticum.*
" In muſculis thoracis
" *Pleuritis Spuria.*

" In muſculis lumborum
" *Lumbago* *."

HISTORIA.

Nulla eſt forſan terræ plaga hoc malo penitus immunis; in calidis autem et temperatis longè rarius quàm in frigidis invadit. Vere, tempeſtate frigidâ et præſertim pruinosâ prægreſsâ, et autumno, haud ante verò quàm frigus inceſſerit, frequentiſſimè invadit: nec rarò hieme ſe oſtendit; imò interdum æſtate etiam apparet. Morbi autem occaſionem non tam ex anni tempeſtate, quàm ex cœli mutationibus, ſubitâ nimirum frigoris et caloris viciſſitudine, pendere, hîc loci obſervandum eſt: hinc rheumatiſmus tempeſtatum effectus quodammodo videtur, quod eundem per diverſas terræ regiones perſequendo patebit.

Satis quidem de morbi frequentia in Europæ plagis ad ſeptentriones vergentibus nobis conſtat:

* Synop. Noſol. Method. vol. 2. p. 118.

ſtat: eundemque in auſtralibus quoque haud infrequentem eſſe crediderim; rem autem aliter ſe habere invenio.

Cel. Cleghornius de anni tempeſtate, quâ peripneumonia et pleuritis in Minorca invalent, agens, phrenitiden, anginam, aliaſque inflammationes, memorat; rheumatiſmum autem ſilentio præterivit. Porro, ubi omnium morborum, quos in eadem inſula per plures annos obſervavit, hiſtoriam tradit, rheumatiſmum ſemel tantum, idque leviter, perſtrixit.

Terræ zonæ circulo æquinoctiali propiores clariora hujus rei argumenta præbent: cel. Hillary, in ſua de Barbadæ morbis hiſtoria, rheumatiſmum ibi interdum, rariſſimè tamen, ſe oſtendere narrat. De Aprile agens inquit "This was "very dry and warm, but very ſickly. There "were ſome inflammatory fevers, and alſo "ſome rheumatiſms of the inflammatory kind; "though the laſt is not ſo frequent here as in "England *." Eadem ferè alibi notat: "We

"alſo

* Diſeaſes of Barbadoes, p. 41.

" alſo had," inquit ille, " ſome inflammatory " rheumatiſms, which are more unuſual in theſe " warm climates †." Hinc morbum, tempeſtate calida, calidiſque regionibus, rariùs occurrere liquet.

Rheumatiſmus modò unam tantùm corporis partem, modò autem plures, rigore aliiſque pyrexiæ indiciis, præſertim pulſu arteriarum frequente, pleno atque duro, prægreſſis, afficit. Pyrexiam ante interdum incipere, quàm partium dolores ſentiuntur, quod contrà tamen plerumque evenit, obſervatio docuit.

Pyrexia exiſtente, unus ſolùm articulus interdum dolore afficitur; ſi pyrexia gravior fuerit, res eodem modo ſe aliquando habet: rariùs tamen evenit, ut plures artus ſimul non afficiantur: hîc autem dolores ſedem plerumque mutant, et in articulis, quos occupant, ante remittunt, quàm in aliis ingraveſcant: rariùs in eadem parte diu manent, articulatim ſæpe volant; nec rarò ad partes antea plexas redeunt. Malum ſic aliquandiu perſtat.

Dolores

† Diſeaſes of Barbadoes, p. 109.

Dolores noctu graviores, comitante simul pyrexiâ, fiunt; sedemque sæpius mutant. Dolorum acerbitas accessioni nocturnæ, quæ in plerisque affectionibus observatur, tribuenda videtur. Doloris magnitudo pyrexiæ, quippe illum semper augenti, pro ratâ respondet.

Rubor et tumor plus minus notabiles dolorque tactu auctus, artubus aliquandiu affectis superveniunt. Dolor tumore sæpe levatur; non autem penitus tollitur. Articuli tumorem, dolore nondum exorto, interdum supervenire adducor ut credam. Hoc occasio mihi observandi semel fuit, in qua tumor duas ante horas planè incepit, quàm dolor vel minimus perciperetur, neque ulla unquam injuria unde tumor oriri potuit, articulo illata fuerat.

Sudor, morbo haud multùm provecto, prorumpere solet: idem verò, quippe neque liber nèque copiosus, articulorum dolores non tollit, neque morbum solvit.

Progrediente malo, urina colore rubicundiore est; nihil autem ferè deponit, donec pyrexia insigniter remiserit; ubi fæx lateritia vasis fundum

dum ac latera petit; nullam verò indè malum crifin habet: diu enim poftea perftat.

Sanguis e vena hoc morbo laborantibus miffus cruftam tenacem albidam habet: quoties fanguinis fibra eò ufque contrahitur, ut craffamenti fuperficies cava, feu pyxidata, fiat, diathefin phlogifticam maximam effe judicamus. Cel. Rutherford, glutinis contractionem hîc minorem quàm in pleuritide effe credit.

Rheumatifmus acutus cæteris licèt phlegmafiis fatis affinis, hoc tamen, quod in fuppurationem minimè proclivis eft, ab eifdem infigniter diftat; quod affectionis fedi, articulorum, putà, ligamentis atque tendinibus rectè tribuitur. In aliis quoque partibus malum fedem haud rarò figit; illarum præcipuæ funt fafciæ mufculorum tendineæ, *pericranium*, membranæ oculi, *fclerotica* fcilicet, aurium etiam, et thoracis, pleura, nimirum, quæ rariùs fuppurant. Si fuppuratio quidem fiat, peffimi generis plerumque eft, quod peculiari inflammationis naturæ ex parte tribuatur oportet. Hæc quidem inflammatio, humore peculiari vifcido, et pellucido, in tendinum thecas

cas effuſo, qui bono pure longè diſcrepat, tumorumque cauſa exiſtit, ferè ſemper inſignitur. Latex iſte modò reſorbetur, modò articuli adeo eodem tument, ut partem incidendo exinaniatur neceſſe fiat; hîc ulcus ſanatu difficillimum exoritur. Tumor nunquam, ſi fieri poteſt, incidatur. Hunc inter et phlegmonem hoc intereſt, quòd ille nunquam in gangrænam, hic verò non item, ſi perſtiterit diutius, abit.

Rheumatiſmus acutus plures ſæpe hebdomadas durare ſolet: exitium rariſſimè offert: pyrexia rarò ultra ſecundam vel tertiam ſeptimanam gravis perſtat; neque citiùs inclinatur, quàm artuum dolores remittunt, ſedique ſuæ firmiùs inhærent.

CAUSÆ REMOTÆ.

Rheumatiſmus nulli parcit ætati. Mortales verò jam inde a pubertate ad annum quadrageſimum uſque plerumque adoritur: rarò enim infantes aut ætate provectiores inceſſit; ſenum tamen

tamen, quos acutior mali forma fæviùs exercuit, exempla fubinde occurrunt.

Homines temperaturâ corporis fanguineâ prædíti eidem opportuniores exiftunt.

Malum ex vitio hæreditario nafci verifimile videtur; plures enim ftirpe oriundi eâdem fæpe affici videmus.

Impetus morbi fæpius prægreffi infigni in proclivitate danda vi pollere jure habentur.

Frigus corpori præter folitum calenti admotum rheumatifmum acutum plerumque concitat; quandove aliqua corporis pars gelido flabro objicitur; dum cæteræ calent; vel denique, quoties frigus diutiùs in corpus agit; quod, veftibus humidis, interdum fit; morbus præ ingenti algoris gradu, inter humorem vaporandum, genito excitatur.

His caufis corporis plenitudo, ver, autumnus, frigus hydrargyro utentibus collectum, et ex regione frigida in calidiorem migratio, annumeranda funt.

DIAGNOSIS.

Rheumatiſmus et podagra ob ſedis communitatem, et ſignorum ſimilitudinem difficiliùs dignoſcuntur: eorum autem curatio haud parum diffidet, imo ſæpe contraria eſt: de diſcrimine igitur ante conſtat neceſſe eſt, quàm remedia adhibeantur. Pleraque morbi aliquantum provecti exempla facile plerumque ſecernuntur; ejuſdem autem ineuntis differentiam non ſolum difficilem, ſed curationem etiam omnino diverſam eſſe, periti bene norunt. Rheumatiſmus, aliorum morborum inſtar, nullo ſigno peculiari dignoſci poteſt: adhoc plurium indiciorum concurſu opus eſt: hîc igitur, ut in aliis affectionibus conſimilibus fieri ſolet, cuncta utriuſque mali ſigni cæteræque res accuratiùs componantur neceſſe eſt. His principiis poſitis rem ſic aggredimur.

1*mo*. Rheumatiſmus frigore ferè ſemper concitatur, podagra verò ex hac cauſa rariùs oritur; hæc eſt haereditaria, illa raro.

2*do*.

2do. Podagra ſine cauſa externa, aut manifeſta, oritur; prægreſsâ plerumque inſolitâ ventriculi affectione, plura, nimirum, dyſpepſiæ indicia, qualia ſunt cibi faſtidium, nauſea ructusque acidi, aut nidorem reddentes, quæ res plures dies perſtare ſolent, et tandem brevi ante podagræ impetum decedunt, ubi cibi deſiderium præter ſolitum acuitur: res autem in rheumatiſmo nunquam ita ſe habent.

3tio. Rheumatiſmus morbi ſede a podagra aliquatenus ſecerni poteſt: ille plures ſimul articulos, genua, putà, et reliquos majores potiùs quàm pedum aut manuum juncturas infeſtat, et muſculorum curſum ſequi ſolet; hic autem unum primò articulum, et plerumque pedis pollicem, aut manuum pedumve juncturas corripit; certis intervallis rediturus, articuloſque et partes corporis internas alternis vicibus haud raro exercet. Rheumatiſmus effectus ſuos latiùs in corpus diffundit; hoc autem rariùs fit in podagra, quæ ſæpe ex uno pede ad alterum tantùm tranſvolat; nec ambos ſimul pedes graviter torquet; aliquando verò, ut ſupra diximus,

podagra

podagra ad ventriculum, aliasve partes internas migrat.

Rheumaticis aliquis, præ cæteris, articulus vehementiùs ferè semper dolet: interdum verò quæ junctura sæviùs excrucietur æger dicere non potest. Dolores rheumatici humeros, cubitos, carpos, genua, atque malleolos præcipuè forsitan afficiunt, rariùs autem suam in digitorum manuum, aut pedum, juncturis sedem figunt. Podagra cunctos corporis articulos afficere potest: hoc autem rariùs quidem evenit; ex 100 enim ægris 80 de manus pollicis, aliusve digiti, et plures etiam, 99 scilicet, de pedis pollicis dolore, podagra obrepente, primò conqueri, observatione constat.

Ischias rheumatica difficile quidem a podagra coxendicem torquente internoscitur: in illa autem dolores coxâ solâ contenti non sunt; nam deorsum secundum femur diffusi genu sæviùs infestant, indeque vibrati malleolum petunt, unde magno dolore emicant: podagra autem coxam afficiens rariùs in istas juncturas transvolare observatur. Hoc cel. Cullenus voluisse videtur,

detur, ubi rheumatiſmi characterem inſigniens inquit, "*Dolor circa articulos muſculorum tra-*" "*ctum ſequens,*" qui in podagra limitibus multò arctioribus coerceri ſolet.

4to. Rheumatiſmum ſemel tantum in vitæ decurſu aliquem afficere, ſæpe obſervatum fuit: podagra autem plùs minùſve ferè ſemper revertitur: quos ſemel enim corripuerit, hi iteratas tentationes eâdem ferè tempeſtate redituras jure expectant: rheumatiſmus autem nulla certa aut definita redeundi tempora obſervat; hoc enim cauſis externis agentibus omnino pendet.

5to. Quàmvis podagra poſt intervalla ſatis quidem definita redire ſoleat; hoc tamen minimè vere aut autumno ſemper fit: nonnullos enim exeunte ferè æſtate ſæpiùs fatigat: iſtuc autem rarius fieri, intervallaque reditûs ſatis eſſe certa, fateamur oportet: hujuſmodi autem rheumatiſmi ſtabilitas rara eſt.

Podagra mortales annum ante quadrageſimum quintum raro adoritur; rheumatiſmus autem acutus a pubertate ad annum trigeſimum quintum, aut quadrageſimum, invadere ſolet.

Rheu-

Rheumatiſmus acutus a ſyphilide et ſcorbuto, animum ad indices harum affectionum proprios advertendo nullo ferè negotio dignoſci poteſt.

Syphilide laborantibus, oſſa media et duriſſima, rheumatiſmo autem acuto affectis, articuli et extrema oſſa, dolent: præterea, ubi dolores a lue venerea pendent; alii hujus mali indices, bubones nimirum, tonſillarum ulcera, cutis, præſertim ad *capillitii* marginem, papulæ corymboſæ in cruſtas et in ulcera cruſtoſa abeuntes, nodi, *tophi*, et *exoſtoſes*, præeunt, vel comitantur; et denique pars tactu non dolet; quod in rheumatiſmo acuto ſemper fieri obſervatur.

Qui rheumatiſmum ſcorbuto confundunt, rei noſologicæ admodum rudes ſint neceſſe eſt: cauſæ remotæ, diæta, nimirum putrida, et præſertim carnes ſale nimio conditæ, aſthenia, ſtomacace, maculæ liveſcentes ad pilorum radices et laſſitudo ſpontanea, quæ res rheumatiſmi comites nunquam exiſtunt, binas has affectiones facile ſeparant.

Pleuritis ſpuria pneumoniæ intermiſceri poteſt; curam autem ſequentibus indiciis intendendo

dendo haud difficile diſtingui queunt; in illa enim pars externa tactu dolet, et interdum tumore et rubore plùs minùſve afficitur; porro nulla plerumque tuſſis adeſt, vel ſi hæc ſe comitem jungat, ſicca manet: hæc autem ſigna rheumatiſmo acuto non ſunt.

Arthrodynia, a rheumatiſmo acuto nullo plerumque negotio dignoſci poteſt: illa enim hujus effectus non raro exiſtit; nec ullam pyrexiam aut tumorem plerumque comites habet; artuſque rigidi et debiles ſunt, ſæpe ſponte frigeſcunt, doloreſque eorum ſub motu præſertim augentur, et calore mitigari ſolent: quæ omnia rheumatiſmi acuti indiciis longe diſtant.

Lumbago nephritidi quoque confundi poteſt; hæc autem nauſeâ, vomitu, dolore ureteris iter ſequente, cruris ſtupore, teſtibus dolentibus et ſurſum tractis, et urinâ limpidâ vel ſanguineâ ſæpius redditâ ab illa, quæ nullos ferè hujuſmodi indices habet, facile internoſcitur.

CAU-

CAUSA PROXIMA.

Nulla eſt forſan medicinæ pars, quæ atriore nocte premitur, quàm cauſæ morborum proximae: hanc igitur argumenti partem leviter tantum, et obiter mihi libare fas ſit. Clar. Boerhaave ſanguinis lentorem proximam non ſolum rheumatiſmi acuti, ſed aliarum pariter inflammationum, cauſam eſſe poſuit. Cel. Cullenus hanc ſententiam convulſit; aliamque, quae ipſi veriſimilior viſa eſt, in medium protulit: arteriarum extremarum debilitatem et ſpaſmum ſanguinis curſui ita obſtare, ut vaſorum impetus non ſolum partibus inflammatis, ſed etiam toti corpori neceſſariè intendatur; indéque naturam, quò malo occurratur, pyrexiam, vaſorum ſpaſmum ſolvendi, congeſtumque tollendi, cauſa concitare, fibraſque muſculoſas rigidas ſimul fieri, opinatus eſt. Alii Culleni ſententiam, ſpaſmo omiſſo, amplexi, arteriarum extremarum debilitatem pro cauſa inflammationis proxima habent: indeque omnium indiciorum rationem feliciter

reddi

reddi posse contendunt. Medicinæ autem rudes sint oportet, qui hujusmodi ineptiis acquiescunt. Qualiscunque enim fuerit causa proxima, seu illa partis inflammatæ conditio unde phænomena pendent, illam neque semper in debilitate, neque in nimio vasorum robore, ut alii docent, consistere manifestum est. Alia enim rheumatismi acuti exempla roborantibus, cinchona nimirum, ut cel. Saunders docet; alia verò remediis contrariis, quæ, scilicèt, insigniter in vi cordis et arteriarum minuendâ pollent, optimè sanantur.

PROGNOSIS.

Rheumatismus periculum raró conflat, nisi ad partes corporis interiores, caput, putà, ventriculum, aliave viscera, transvolat: hîc quidem horrendos effectus interdum edit: quamvis autem ægrum variùs plerumque in periculum adducit; omnium tamen fere phlegmasiarum, nulla et forsan, quæ difficiliùs curatur, diutiùsve perstat. Ex doloris violentia numeroque articu-

C lorum

lorum affecto periculum judicamus. Quoties latus, aut abdomen afficitur, periculi plus adfert: tunc enim in pleuram, et ipsum etiam pulmonem diffundi potest. Cachexiæ, hydrops, putà, arthrodynia, paralysis, anchylosis, aliaque mala, nimiâ sanguinis detractione, cæterâque curatione *antiphlogisticâ* strictiùs observatâ, rheumaticis conflari solent.

Cùm malum articulorum majorum, genu, nimirum, cubiti, et malleoli, ligamenta, non raró occupat, ab hydarthro studiosè caveri debet.

Rheumatismo acuto nascenti facilè medetur; inveterato non item, præsertim ubi vires fractæ fuerint: de horum mali exemplorum eventu cautè judicandum. Quando morbus ætate florenti, cæteraque sana incessit, exitum faustum, modò medicina idonea tempestivè adhibeatur, præsagire fas est. Dolor, morbo inveterato, eidem parti pertinaciter hærens, malum est.

Aliqua exinanitio velut sudor tepidus et copiosus, sive arte moveatur, sive sponte, prorumpat, in totum corpus diffusus, in justum tempus, 24 aut saltem 12 horas perstans, somni, cibique appetentiæ,

appetentiæ, reditus, ſignorum ſimul remiſſio, diarrhœa etiam, aut hæmorrhagiæ ſpontaneæ, et denique *erythema*, ſunt boni ominis indicia.

Terminatio rheumatiſmi acuti frequentiſſima eſt reſolutio: rarò quidem in ſuppurationem, perrarò in gangrænam, aut ſchirrum, abit. At nihilo minùs tamen cel. Storck rheumatiſmum acutum ſatis ſæpe in ſuppurationem terminari planè confirmat; pluraque hujus terminationis exempla in opuſculo, quod Annus Medicus inſcribitur, publici juris fecit: magna puris vis ex tumoribus apertis exibat: ulceraque ſanatu difficillima erant: de his ſcribit, "Longo tem-
" pore diverſa remedia tentavit dominus Haff-
" ner, optatam tamen metam attingere nonpo-
" tuit."

Cel. denique Morgagni lumbaginis exemplum narrat, in quo muſculi, quadratus lumborum, et ſacro lumbalis mirum in modum laxi, et flexiles evaſerunt, et colorem ſubfuſcum induerunt *.

RA-

* De Sed. et Cauſ. Morb. Epiſt. 57. p. 17.

RATIO MEDENDI.

Rheumatiſmi acuti naturâ, et præcipite in arthrodyniam proclivitate, perpenſis, præcipua medendi conſilia duo ſequentia eſſe, manifeſtum eſt; nimirum.

1*mum.* Diatheſin totius corporis, et præcipuè articulorum, phlogiſticam, tollere.

2*dum.* Arthrodyniæ occurrere.

Remedia primo conſilio accommodata, ſunt omnia, quæ nimiam cordis et arteriarum vim atque tentionem ſatis minuunt; qualia ſunt regimen *antiphlogiſticum*, ſanguinis detractio, alvi purgatio, et ſudorem moventia: de quibus ſigillatim paucis jam agetur.

Regimen antiphlogiſticum, in quâ voce omnium irritationum, quæ, machinæ humanæ ferè ſemper admoventur, imminutionem, aut evitationem ſignificamus, per totum ferè morbi curſum neceſſarium eſt: harum irritationum præcipuæ ſunt calor, diæta, cibi præſertim ex carnibus parati, potuſque validi, vinum nimirum,

ejuſque

ejuſque ſpiritus, animi corporiſque exercitatio, lux, ſtrepitus, aliaque bene multa. Harum rerum vis, pro ſignorum violentia, minuenda, ſeu vitanda eſt. Cubiculi, igitur, in quo rheumaticus decumbit, calor modicus ſit oportet: media forſan cœli tempories votis optimè reſpondebit. Diæta ferè nulla concedatur, dum diatheſis phlogiſtica urget, præter ptiſanam, aut lactis ſerum; quod Sydenham plurimi fecit, et ad morbum debellandum haud parum conferre poſuit. Hic quidem potus corpus modicè alit, et refrigerat, ſitim reſtinguit, alvum leniter ſolvit, vires haud parum reficit; cæteris igitur omnibus anteponendus videtur. Cibi ex carnibus parati, omneſque liquores meraci, quales ſupra memoravimus, quippe qui corporis calorem, totiuſque generis nervoſi actionem, ultra modum, intendunt, cautiſſimè fugiendi ſunt; horum vicem diæta mitis, blanda, et refrigerans, ex imbecilla materia parata, fruges, nimirum, ſubacidæ, farraceæ, et glutinoſæ, uvæ, ſcilicet, fraga, aurantia, panis bene fermentatus, *ſago*, aliaque, id genus, reddant. Cura ſimul adhiberi debet, ne

ventriculus

ventriculus cruditate gravetur, aut alvi pigritia adſit, quæ res inflammatione laborantibus haud parum moleſtiæ afferunt: his vomitoria, medicamenta cathartica, et *enemata* mitiora optimè occurrunt.

Quamvis regimen jam deſcriptum rheumatiſmo acuto affectis prorſus neceſſarium ſit; conſilium tamen, de quo agitur, copiosâ et tempeſtivâ ſanguinis detractione, alvique purgatione potiſſimum abſolvitur. Quòd ſanguinis copiam ſimul detrahendam attinet; nulla quidem præcepta generalia tradi poſſunt: hæc res ægri viribus, ætate, ſexu, corporis habitu, artuum dolore, arteriarum percuſſu, et frequentiore aut rariore hujus exinanitionis uſu, dirigatur oportet.

Rheumatici adulti, pleni, atque validi, uncias ſanguinis quatuordecim, aut etiam ſedecim, ſimul miſſas impunè ferre ſolent. Multis hujuſmodi exemplis una tantùm ſanguinis detractio non raròò ſatis eſt; non deſunt tamen, quibus altera, vel etiam tertia, primo morbi triduo ſe vertente, neceſſaria eſt. Nec ulla forſan exiſtit

inflammatio,

inflammatio, si *pneumoniam* excipias, quæ hanc exinanitionem impuniùs fert. Riverius et clar. eques Pringle iteratas sanguinis detractiones hujus mali sanatione enixè commendant; ille de hoc remedio sic loquitur. "Quandoquidem hic "morbus hoc habet peculiare, ex frequente ve- "næsectione vires non dejiciantur, sicut in aliis "morbis solet contingere:" hic etiam in eâdem est sententia; rheumaticos enim, meliùs quam quâvis aliâ inflammatione affectos, sanguinis jacturam tolerare asserit.

Rheumatici autem ætate provecti, habituve corporis delicato præditi, sanguinis detractionem copiosam aut iteratam ægriùs ferunt. Hujusmodi igitur ægris humor vitalis cautè et cogitatè detrahatur necesse est: quis autem modus sit, haud facile dixeris; Professor Gregory debiles quosdam rheumaticos regimine *antiphlogistico*, sanguine ex partibus dolentibus misso, sudoreque moto, sanatum iri opiniatus, ad generalem sanguinis detractionem, quam initio supervacuam habuit, confugere non raro coactus fuit.

Hic

Hic loci ſanguinis detractionem, quò velociùs e vena effluxerit, eò magis ad diatheſin phlogiſticam tollendam valere, notandum eſt; ex oſtio igitur amplo mittatur oportet.

Quamvis autem ſanguinis detractio cæteris remediis longe præſtet, eandem tamen ultra modum adhibitam peſſimos effectus, ſummam nimirum corporis debilitatem, *arthrodyniam*, dirum hydropem, certiſſimum ſanguinis nimii detracti indicium, aliaſque affectiones ex virium defectu pendentes, edere, nunquam e medici memoria excidere debet.

Juſtâ ſanguinis copiâ e brachio miſsâ exinanitiones e partibus dolentibus, præſertim poſtquam hæ tumuerint, inſigni beneficio fiunt: parti dolenti multum, totique etiam corpori, non-nihil ſolatii, praebent: diatheſis enim phlogiſtica generalis ex partis inflammatione penitus licèt non pendeat; inde tamen haud parum intendatur neceſſe eſt: nihil amplius autem plerumque quàm partis affectae levamen afferunt: quoties enim diatheſis plogiſtica generalis eſt, dolores, ſanguis licèt e parte dolente copiosè detrahatur,

nocte

nocte insequente in vicinis articulis, inde, dum diathesis generalis satis minuatur, migraturi, plerumque reperiuntur: pyrexiâ igitur generali satis minutâ, saevisque doloribus uni praesertim parti pertinaciter haerentibus, sanguis ex hac detractus, quod hirudinibus, aut cucurbitulis cum ferro, fieri potest, magnum levamen affert.

Alia porro auxilia partibus dolentibus admota, tepidarii scilicèt usus, et fomenta, malum, saeviante generali diathesi phlogisticâ, plùs augent, quàm diminuunt: hâc autem sublatâ, prodesse queunt. Rubefacientia, oleum scilicèt *ammoniatum* aut *camphoratum*, plus mali quam boni afferunt: corpus plùs minùsve calefaciunt, et irritant, efficiuntque, ut inflammatio articulatim certiùs transvolet; et *vesicatoriis*, quae dolores longè efficaciùs depellunt, jure locum dant.

Alvi purgatio quoque nimiae cordis et arteriarum vi tollendae optimè accommodata videtur: cathartica mitia et refrigerantia, tartari nimirum crystalli, *soda tartarisata*, *soda phosphorata*, et

potaſſa tartariſata, caeteris anteponenda ſunt: haec autem exinanitio omni hujus affectionis exemplo minimè congruit: pyrexiâ enim, ſaeviſque articulorum doloribus, urgentibus, ubi nullus ferè corporis motus ſine magno dolore, et frigus ab aëre, cui aeger, inter ſurgendum, objicitur, colligendi periculo, fieri poteſt, revera nocet: alvi igitur durities, haud infrequens hujus mali comes, *enematibus* mitioribus, prout ſigna poſtulaverint, iteratis, levanda eſt. Cathartica mitiora, manna, tamarindi fructus, tartari cryſtalli, aliaque leniora, ubi *enemata* ſpem fallunt, commodè dari ſolent.

Sudorem autem moventia, diatheſi phlogiſticâ remediis ſupra dictis ſatis minutâ, ſunt auxilia, quae votis optimè reſpondent: omnia ferè hujus claſſis medicamenta diverſis temporibus tentata fuerunt. In Gallia illud antimonii praeparatum, quod *kermes minerale* olim audire ſolebat, in maximo pretio habetur; apud nos verò rariſſimè uſurpatur: pulviſque ipecacuanhae compoſitus ob magnam, quam rheumaticis affert, utilitatem, jure anteponitur. Opium præ caeteris omnibus

nibus medicamentis ſudorem movere inter omnes jam medicos conſtat: idemque cordi et arteriis ſtimulo eſſe ſatis quidem veriſimile eſt: inſigni tamen ſedandi vi, ſtimulatrici contrariâ, quæ corpus dum ſtimulat, ſimul laxat, et plus vaſcula extrema, quàm cor et arterias, afficit, præditum eſt. Hinc ſudor faciliùs et minore vaſorum impetu movetur, quàm alioquin poſſibile foret: opium igitur, mirificas has ejus qualitates obtinendi cauſa, cum ſale neutrali et vomitorio, quippe in extrema corporis vaſa, ut omnes novimus, agentibus, illiuſque vires eòdem certiùs diffundentibus, commodè conjungi poteſt. Hujuſmodi ſanè compoſitio, (qualis eſt pulvis ipecacuanhæ compoſitus,) ſudori efficaciùs movendo idonea mihi videtur. Sudor longè commodiùs diu quàm noctu cietur: pulvis igitur ſudatorius ſummo mane, ubi æger ſomno reficitur, peritiùs datur; cùmque ſudor quam leniſſimè cieri debet, magnaque doſis vomitione, quam movere ſolet, rejici periclitatur; parva tantùm, ad grana, nimirum ſex, octo, vel decem, boli formâ, et e-

tiam

tiam cruſtulo interdum involuta, ne nauſeam faciat, alterâ quâque horâ, dum ſudor prorumpat, detur oportet: ſudatio per totum diem, et in nonnullis exemplis per totam noctem inſequentem, iiſdem ferè medicamenti doſibus, longioribus tamen, prout res poſtulaverint, intervallis, perpetuari debet. Si æger pulverem faſtidit, ut interdum ſit; hauſtus ex opii tincturae et vini antimonii tartariſati; aut hujus vice, ex ipecacuanhæ tincturae, ſingulorum ſcrupulo paratus, in illius locum ſubſtitui poteſt.

Sudor, niſi ex omni corporis parte manet, ſpem noſtram fallit; partibus corporis ſuperioribus, capiti ſcilicet, collo, ac pectori, facilè, ægriùs autem inferioribus, præſertim pedibus, cieri ſolet; ſi in hos igitur non diffundatur, utres aquâ calidâ repleti, lateres calefacti, aliave fomenta calida, ſtatim admoveantur neceſſe eſt. Rheumatici ſubinde occurrunt, quibus ſudor remediis jam dictis difficillimè movetur; his, modò ante in tepidarium deſcendant, quàm medicamenta ſudatoria dentur, ſudor cæteroqui nullus, aut parcus, facilè ſæpe movetur.

Ante

Ante verò quàm pulvis aſſumatur, æger induſiis linteis exutis, ſtragulis laneis, quæ ſudorem abſorbent, ac retinent, involutus decumbat: lintea enim brevi madida fiunt, et frigus inſigne, quod ſudorem reprimit, nunquam non gignunt.

Nullus ægro potus detur, donec ſudor prorumpere inceperit, ne medicamentum ſudatorium, vomitione motâ rejiciatur. Ut primùm cutis maduerit, diluentia tepida, primò modicè, poſtea liberiùs, ita tamen ut ventriculus nimiâ copiâ non gravetur, adminiſtrentur: huic conſilio ſerum lactis, et alia quæ corpus minimè ſtimulant aut calefaciunt optimè reſpondebunt: nonnullis ægris ſerum vinoſum ſubinde concedi debet. Hauſtus, ex *citritis potaſſæ* uncia, opii tincturæ, et vini ipecacuanhæ, ſingulorum, ſcrupulo, factus, omni nocte tertiâ quâque horâ ſumptus, haud parum ad ſudationem promovendam confert.

Tempus quod ſudor manere debet ex ægri viribus, et dolorum levamine pendebit; in pleriſque autem exemplis in horas plùs minùs triginta

ginta protrahatur oportet: ſudorem autem nimio calore, ſive cubiculi, ſive ſtragulorum, ſive medicamentorum, elicitum, admodum periculoſum eſſe, et frigus non inter ſudandum modò, ſed etiam aliquandiu poſt ſudationem finitam compluribus, exitium attuliſſe, nunquam obliviſcendum eſt.

Morbo inclinato, animum ad ſecundum medendi conſilium, *arthrodyniæ*, nempe, *occurrere*, intendamus oportet; cinchona officinalis hîc, teſtante cel. Saunders, votis optimè reſpondet: non ſolum enim pyrexiam leviorem reddit, ſed peſſimis rheumatiſmi acuti effectibus, articulorum nimirum debilitati, rigiditati, et paralyſi, quæ aliquando ſupervenit, feliciter occurrit. *

Morbo his remediis ſublato, magna tamen in arthrodyniam proclivitas etiamnum exiſtit; cui cauſarum occaſionalium evitatione, corporis exercitatione, perito frigidarii uſu, et idonea

* Obſervations on the Red Peruvian Bark in the Cure of Agues and Fevers.

nea diæta occurratur oportet. Nulla causarum excitantium magis timenda quam frigus; vestes igitur idoneæ, præsertim indusium laneum parentur, articulique qui vim morbi passi sunt, lanulâ involvantur: cùm primum valetudo, et præsertim artuum conditio permiserint, æger equo sub jove sicco, quotidie vehatur, et frigidario per plures septimanas utatur. Diæta blanda levis et concoctu facilis, ex farraceis et lacte præcipuè parata, in unam alteramve septimanam continuata, a Sydenhamo non parum commendatur: præcepta autem diætetica pro varia ægrorum consuetudine, varientur necesse est. Quoad diætam igitur nulla regula generlis tradi potest.

Quantamvis autem huic consilio, arthrodyniæ, nimirum, prævertendæ, curam impenderis, ea est tamen quorundam ægrorum in eandem proclivitas, ut vix aut ne vix quidem arceri possit.

Alia ab aliis arthrodyniæ sanatione remedia commendantur, rubefacientia, oleum nimirum *ammoniatum*, aut *camphoratum*, *sinapismi*, ac fomenta

menta calida, identidem profuerunt. Cel. Darwin hydrargyrum muriatum mite opio conjunctum in magno pretio habet: viri clari Cheyne et Pitcairn oleum terebinthinæ. Stimulum sanè valde diffusilem, magnis laudibus efferunt: auxiliis autem externis, indusio scilicet laneo, lanulæ, villisque, forsan partibus affectis, admotis, potissimum fidendum. His suppetias ferent frictio variis modis, strigile, seu panno laneo, effecta, frigidarium, et tepidarium: Quod si hoc totum corpus laxando debilitatem infert, aqua calida partibus dolentibus rigidis et debilitatis per antliam exiguam, quod Bathoniæ, et Bucosteni factitari videmus, affusa proderit. Totius corporis, et præsertim partium affectarum, exercitatio, et scintillæ electricæ ex his aliquandiu quotidie elicitæ, haud parum juvabunt.

Multi olei jecinoris aselli semunciam, frumenti spiritus pauxillo admistam, unaquâque nocte aliquandiu datam, insigne hoc malo laborantibus solatium, sudorem copiosiùs ciendo, sæpe attulisse credunt.

F I N I S.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI.



DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PHTHISI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS PITTS DIMSDALE,

ANGLUS,

SOCIET. REG. MED. EDIN.

SOC. EXTRAORD.

Ad diem 24. Junii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCC XCIX.

DANIELI RUTHERFORD, M. D.

IN

ACADEMIA EDINENSI

BOTANICES

PROFESSORI,

HOC TENTAMEN

SUMMÆ OBSERVANTIÆ

TESTIMONIUM

DICAT

AUCTOR.

[illegible]

from the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PHTHISI.

MORBUS de quo dicturus ſum attentionem medicorum ſemper ſibi vindicavit; etiamſi operam haud exiguam in hujus natura et curatione inveſtigandis viri clariſſimi collocaverint, fatendum tamen eſt, nullum omninò dari, ne peſte ipſâ exceptâ, qui ſit hominibus infeſtior, omnemque medicinam magis contemnat.

Phthiſis ſic a Culleno definitur: "Corporis emaciatio et debilitas; cum tuſſi, febre hectica, et plerumque expectoratione purulenta."

Tuſſis ſæpe quidem ab initio ita mitis eſt, ut vix animadvertatur, et ab ipſo ægrotante ejuſque familiaribus a catarrho oriunda judicetur; interea vero vires acquirit eundo, ſæpiſſimèque fit moleſtiſſima antequam ad eam ſiſtendam, maloſque frigoris effectus avertendos, ſeriò ſeſe accingunt. Exſcreatio quæ primo morbi ingreſſu parca erat, eodem invaleſcente fit copioſior; neque jam ut olim, perlucens glutinoſuſque mucus expuitur, ſed opaca, friabilis, purulenta denique materies, quæ, eheu! apertè nimis quo morbus tendat oſtendit.

Variis modis uſi ſunt clinici, quò quid interſit diſcriminis mucúm inter et pus in medium proferrent; non deficiunt certè ſuæ laudes experimentis quæ de hâc re inſtituit ingeniosus

niosus vir CAR. DARWIN, magis vero obvia HIPPOCRATIS methodus, quæ a specifico istorum fluidorum pondere petitur, nuncque frequentiùs usurpatur: pus etiam fœtore suo commodè a muco distingui potest.

Brevissimo tempore post morbi exordium, comitum habet hecticam febrem; hujus vero historia tam minutatìm et eleganter a CULLENO describitur, ut longè satius fuisse mihi videar si ipsius verba referam. "A hectic fever has the form of a remittent, which has exacerbations twice every day. The first of these occurs about noon, sometimes a little sooner or later; and a slight remission of it happens about five afternoon. This is soon succeeded by another exacerbation, gradually increasing, till after midnight; but, after two o'clock of the morning, a remission takes place, which becomes more and more considerable as the morning advances. The ex-

acerbations

acerbations are frequently attended with ſome degree of cold ſhivering, or, at leaſt, the patient is exceedingly ſenſible to any coolneſs of the air, ſeeks external heat, and often complains of a ſenſe of cold, when, to the thermometer, his ſkin is preternaturally warm. Of theſe exacerbations, that of the evening is always the moſt conſiderable."

Febris illa, auctore CULLENO, ortum ſuum habet a peculiari quâdam acrimonia; quæ ipſa ab ulceribus eſt oriunda; hujus vero acrimoniæ natura nos penitùs latet, interea vero, quotidiana nos docet experientia ulcera diutiùs adeſſe, imo etiam ingentem vim puris in venas reſorberi, quin ulla hectica febris oriatur; id etiam in profeſſo eſt, ſæpiſſime adeſſe febrem hecticam, quin ulla puris vel leviſſima particula detegi poſſit: facile aſſentimur CULLENO, cum docet, poſitâ illâ acrimoniâ pro-

priorum

priorum huic morbo ſignorum rationem in promptu eſſe; ſed ut illuſtriſſimi cujuſdam ſcriptoris verbis utar: "Suppoſer ce qu'on ne voit pas, croire ce qui eſt contredit par l'experience, c'eſt ſubſtituer des ſonges à des objects réels, c'eſt embraſſer l'erreur pour la vérité, et adopter des chimères pour des faits."

Non longô poſt febris hæc ſeſe prodiderit, copioſiùs plerumque profluunt ſudores, præſertim qui veſpertinas exacerbationes excipiunt; morboque incrementa capiente, iidem immanes evadunt; urina vero parcior redditur, et coloratior, et non exiguam ſedimenti vim deponit; multa exempla extra dubii aleam poſuerunt, mirabile inter eas quæ per cutem et quæ per renes fiunt excretiones adeſſe æquilibrium; ita ut ſi parciores illæ, hæc copioſiores evadant; ſic diabetes cutem aridam caloremque imprimis ad volas man-

nuum et pedum urentem habet, omniaque ſymptomata vix ullum ſudori exitum patere oſtendunt: coloratior urina, ſalibus non ut decet dilutis, omnino tribuenda eſt; non tantùm medici noſtris temporibus huic urinæ conditioni confidunt, quantum majores confiſi eſſent; interque aniles fabulas hodiedum numeratur eorum opinio, qui reliquias morbi cum ſedimento deponi arbitrabantur; verum enimvero, probe novimus, eò coloratiorem plerumque urinam eſſe futuram, quò parcior ſit ejuſdem copia.

Arida lingua immaniſque ſitis hanc febrem rariùs ſtipantur; aphthæ quæ aliquando in ore erumpunt, vix ullam ſalutis ſpem habent: pallida plerumque eſt facies, exacerbeſcente vero febri genæ leviter ſeu hecticè rubeſcunt. Adnata oculorum membrana albidum margaritarum colorem refert; uno verbo, tota oris forma emorientes ægrotantis vires oſtendit,

non

non vero eventus terrore depreſſum animum; ſpem enim alit æger, vel morbo ad exitium properante; ſibique blandicus paucis nonnunquam horis antequam mors finem miſerrimæ vitæ imponit, de futuris cum amico colloquitur.

Alvus à primo morbi ingreſſu eſt plerumque pertinaciter adſtricta, febre vero ingraveſcente præter modum fit laxa; neque ſibi eſt conſtans alvi fluxus, ſolummodo per intervalla redit; obſervaverunt clinici eo parciores fieri ſudores, quô fit immanior diarrhœa.

Primas omnino tenet inter varia morbi ſymptomata corporis extenuatio et macies; quæ quidem aliquando tanta fit, ut oſſa ſolâ cute tecta appareant. Capilli defluunt; ungues incurvantur; lethale ſignum dixit HIPPOCRATES ſi capilli et alvus ſimul defluant. In fœminis cum aliquandiu morbus perſtitit, menſtrua

menſtrua fluere prorſùs deſinunt; hunc morbi effectum, mulierculæ plerumque ejuſdem eſſe cauſam arbitrantur. Morbo jam provecto, maximus adeſt virium lapſus; œdematoſus fit æger, imprimiſque intumeſcunt pedes, atrocior eſt diarrhœa, parcior vero ſudor, delinquit animus, delira et abſona nonnunquam effutiuntur, mors tandem tragædiam abſolvit.

C A U S Æ.

INTER cauſas quæ corpus huic morbo opportunum faciunt, primas manifeſtò ſibi vindicat ſcrophuloſa indoles quæ à parentibus ad prolem tranſmittitur; hujus vero indolis natura nos penitus latet, ſuos effectus præcipuè in ſyſtemate lymphatico obvios habet, et vix unquam ſtrumoſos tumores in aliqua corporis

parte

parte reperies, quin etiam tuberculis pulmones inficiantur; hic nexus quo tuberculæ aliique ſtrumoſi tumores inter ſe connectuntur, plurimorum ſcriptorum attentionem ſibi vindicavit; et a GREGORIO noſtro, in aureo ſuo quem de morbis cœli mutatione medendis in lucem edidit, libello ſic deſcribitur.

" Eandem ſpeciem externam, et, ſi cultro inciduntur, internam habent; eandemque ſpiſſitatem et duritiem: eodem modo, a parvo initio ad molem ſæpe magnam paulatim creſcunt, et plerumque ſine magno dolore aut moleſtiâ; tardè et ægrè ſuppurant, et nunquam in ſuppurationem benignam abeunt, ſed ulcera fœda et vix ſanabilia relinquunt. Eodem anni tempore ambo ſe oſtendunt, hiemali ſcilicet aut verno; accedente æſtate, levantur, aut diſſipantur, at, reverſo hieme ambo ſæpe redeunt. Denique in ſectionibus cadaverum

corum quos ſcrophula plane occidit, tumores ſcrophuloſi in omnibus corporis partibus, et tubercula in pulmonibus ejuſdem ſpeciei, haud raro reperiuntur."

Si quis vero auctore Beddoes urgeat nos hujuſmodi naturam non expoſuiſſe cum illum ad ſcrophulas retulimus, ſi quidem ipſa ſcrophularum natura ſit in obſcuro; fatentes reos habebit, verum enimvero cum hujus rei notitia tantis undique prematur difficultatibus, ſatius ſanè eſt noſtram ignorantiam plane agnoſcere, quam vanis indulgere commentis quorum probatio à paucis tantum rebus factis petitur, quarum ratio melior longèque planior alia reddi poſſet: non tamen omnino rejiciendæ mihi videntur hujuſmodi inveſtigationes, ſic enim ſcientia noſtra adornatur locupletaturque, ſic medicus ab empirico diſtinguitur; hoc vero ſemper memoriâ tenendum eſt, non conjectando

do naturæ arcana effe detegenda: non tantùm certe effet medicinæ opprobrium, neque tot tamque abfurda detegerentur in medicis lucubrationibus, quæ ab HIPPOCRATIS tempore ad noftrum ufque diem exaratæ fuerunt, fi ad res folas factas et veras inveftigandas femet medici gnaviter accinxiffent.

Catarrhus qui in primis apud noftrates frequentiffimus reperitur, phthifin fæpiùs procreaviffe exiftimabatur, immerito quidem; nifi in iis quorum pulmones tuberculis jam fœdabantur; verum enimvero catarrhus mucofam nafi, faucium, et bronchiarum, membranam aggreditur, et auctâ fecretione, morbus tolletur. Phthifis vero ipfos pulmones inficit, qui nifi principiis obftiteris, fuppurabunt.

Inter excitantes phthifeos caufas, in iis faltem quorum pulmones ad labem jam funt proclives

clives facti, fortasse hœmoptysis est annumeranda; quæ tamen morbi symptoma sæpius quam causa erit, cujusquidem rei facilis admodum et obvia ut opinor est ratio, tota pulmonum compages conficitur ex exilibus bronchiarum ramulis, parvis quæ aërem recipiunt vesiculis, vasculis sanguiniferis, absorbentibus, et nervis, quæ omnia exili membra cellulosa inter se connectuntur; unde fit, ut brevissimo tempore si adsit ulcus, ramuli aliqui corrodantur; si minutissimi solummodo ramuli abrodantur, exscreatio sanguine erit distincta, si majores vero immanis sanguinis vis erumpet.

Animadvertit MORGAGNI eos sæpiùs phthisi laborare qui lapidibus incidunt, inhalatis videlicet minutissimis lapidum particulis, quibus irritantur pulmones et ad inflammationem excitantur; idem de hominibus molariis, linteonibus, &c. propter similem omnino causam observatum est.

Phthisis

Phthiſis profectò à tuberculis frequentiſſime eſt oriunda; de iſtorum vero naturâ, et modo quo enaſcuntur, nihil omnino certi novimus; docebat quidem SAUVAGE, concretâ in glandulis bronchialibus lymphâ, eaſdem fore ſchirroſas; hæc vero doctrina vix ad nodum ſolvendum valere reperietur; verum enimvero demus lympham revera in glandulis unquam concretam fieri, quod quidem minime probatum eſt, imò etiam rationi maxime abſonum videtur quid inde colligi poteſt, tubercula ubique pulmonum reperiuntur, glandulæ vero ſuperficiem tantùm amant.

Diverſæ admodum magnitudinis ſunt tubercula, alia vel leviſſimum granulum mole ſuâ vix æmulantur, alia dimidium digitum altitudine referunt; non nunquam in congeries conglomerantur, quæ parvam molem habent; ſunt ſolida, albida, cartilaginem texturâ ſuâ æmulantur; ſecta, lævem, perlucentum, uniformemque

formemque habent ſuperficiem; in quibuſdam foramina parva vides, grandiora facta cavitates habent, in quibus plus minuſve puris continetur; tuberculum à quo pus dimanat vomica dicitur. In quibuſdam exemplis, numero quidem paucis, calcaria materies exſpuebatur, hujus autem origo penitus nos latet.

Homines quindecimum inter et trigeſimum quintum annum potius aggreditur phthiſis, pauca tamen exempla habemus in quibus ætate provectos enecavit. Fœminæ quam mares huic morbo ſunt opportuniores.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Incipiens phthiſis miti ſimillima eſt catarrho, et nonnullam ſalutis ſpem habet; cum jam ſuppurati ſunt pulmones, vix quinquageſimus quiſque inſtitutis de hâc re calculis, à morbo convaleſcet.

CURATIO.

Cum morbi cujuſvis cauſæ ſymptomatumque natura ſunt in aprico, generalem curatoriam indicationem inſtituere poſſumus, quâ niſi forſan unexpectata quædam accidant ad felicem exitum perducatur; res verò longè ſe aliter habet in phthiſi, nam peculiaris illa

indoles

indoles qua corpus huic morbo opportunum evadit, denſâ adhuc ut jam innuimus caligine merſa eſt; quotidianaque nos docet experientia minimè fidendum eſſe innumeris illis remediis, quæ efficaciſſima et nunquam ſpem fallantia laudantur.

Quoniam vix ulla ſpes ſalutis in phthiſi pulmonali affulget, cauſæ quæ malo originem aut occaſionem dare noſcuntur diligentiſſimè ſunt arcendæ: ſi quis igitur ortus à parentibus hâc labe defunctis morbo huic ſe opportunum oſtendit, ad eas migretur regiones, in quibus non ita repente, ac in noſtris frigus calorem excipit; tam ſubitæ enim ſunt vices quas cœlum noſtrum ſubit, ut nonnunquam poſtera dies heſternâ 20° frigidior evadat; frigore vero tam repentè corpori admoto, ſanguis per externa ægriùs means ad pulmones majori quam decet copiâ refluit, ſicque morbum procreat. Si autem res arctæ domi lo-

cum

cum mutari non patiuntur, diligentiſſima veſtibus detur cùra; maxima profecto veſtium utilitas præſertim in Britannia noſtra, quæ tam ſubitas tempeſtatis mutationes habet; cum igitur tam frequens apud noſtrates, et quaſi iiſdem propria ſit phthiſis, nonnihil fortaſſe culpanda eſt eorum de veſtibus incuria.

Sit victus eorum qui ad phthiſin ſunt proclives concoctu facilis, tenuis, qui tamen corpus alat et reficiet; etiamſi hæc quibuſdam majoris quam par eſt videantur momenti, nemo tamen qui non videat, ſi plus æquo oneratur diſtenditurque ventriculus, hoc ipſo liberum pulmonum motum impediri, ſicque morbum foveri: lac, olera, fruges, commode porrigentur; in partem laudis forſan non minimam quæ lacti aſinino tribuebatur, veniunt campeſter aër, hilaritas, quæ hujus lactis uſum comitari ſolent.

Idonea exercitatio quæ vires reficiat et renovet, inter phthifeos remedia certe primas tenet; minime vero affentimur SYDENHAMIO qui docet, "tantum valere equitationem ad phthifin curandam, quantum mercurium ad luem veneream, aut chinamchinam ad febres intermittentes;" etiamfi mirum in modum aliis remediis opitulatur, aut fortaffe primo morbi ingreffu, et antequam graviora urgeant fymptomata, fola curam abfolvat. Navigatio omnibus fere qui de hac re fcripferunt annuentibus, infigne commodum et excellentiam habet; nonnullofque phthificos de quibus jam pene conclamatum fuerat, ad vitam quafi revocavit; plurimi acutiffimique viri operam haud exiguam collocarunt, in inveftigando modum quo tam falutaris effectus locum obtineat; tam parum vero fibi confentiunt eorum opiniones, ut prorfùs prætermittendæ mihi videantur.

Plurimum

Plurimum a quibuſdam laudabantur emetica, neque ſuæ iis fortaſſe deſunt laudes, cum primo morbi exordio, aut etiam per ejuſdem decurſum parce longiſque intervallis adhibentur; congeſtiones enim materiæ ſi quæ ventriculum exonerant, ſolvent diſpellentque; Doctoris Reid ſententia qui ea bis de die porrigenda contendit, minime tuta mihi videtur; imo etiam bonos effectus qui a navigatione defluunt, nauſeæ quam excitat eſſe tribuendos plane affirmat; maxima tamen utilitas a navigatione aliquando percepta fuit, cùm nulla nauſæa occurrerat; et Doctor Jac. Car. Smyth in libello, quem de libratione ad phthiſin debellandum maxime valente edidit, omnino aſſerit, navigationem nauſææ vacuam melius eſſe profuturam: minimè quidem rationi abſona videtur eorum ſententia, qui emeticis quæ certe ad vires refocillandas nihil omninò valent, non promiſcuè liberiorique manu eſſe utendum contendunt; niſi jam multa nos docuerit

docuerit experientia, iisdem morbum mitiorem nullomodo vero atrociorem effici.

Incipiente phthisica affectione, si adsunt inflammationis signa, tussis molestior, et sicca, nimia humorum abundantia, a venæsectione non est abstinendum; nonnulli per morbi etiam decursum, parcâ quidem manu, sed iteratis vicibus, sanguinem subinde detrahendum judicabant; ista vero medendi ratio manifesti periculi tam plena est, ut nullum ni fallor hodiedum habeat fautorem, proindeque non sit fusius discutienda: verum enimvero generalis sanguinis detractio impetum versus pulmones nihil minuit, dum corpus jam valde exhaustum debilitatumque ut provecto morbo fieri assolet, etiam facit, debilius; quis enim prudens medicus ad venæsectionem confugiet, cùm jam exhaustis viribus jacet ægrotans immanem puris vim continenter exspuens? crusta alba et tenax, nisi alia inflam-

mationis

mationis ſigna tali remedio opus eſſe moneant, minime venam iterum ſecandam oſtendit; quidquid BOERHAAVIUS et CLIFTON WINTRINGHAM cenſuerint, plurima nos docent exempla, huic ſymptomati fidem eſſe dandam nullam; manifeſtiſſimæ pneumoniæ exemplum nuper in Noſocomio Edinenſis habuimus; ingentiſſima erant omnia inflammationis ſymptomata, nulla tamen, vel minutiſſima hujuſce cruſtæ particula ſupernatabat ſanguini, qui ad morbum debellandum profuſiùs detrahebatur: dudùm obſoluere antiqua de inflammatorià cruſtâ commenta, probe perſpectum habemus hujus cruſtæ formam a ſanguine eſſe oriundam, qui cogitur tardiùs ſolito quod in phlegmaſiis eſt uſitatiſſimum, interea vero particulæ rubræ ſubſidunt, ſicque purum gluten ſuperficiem occupat.

Dubius eſt profecto ſetaceorum uſus, etiamſi a quibuſdam tanta in laude habeantur; vires enim

enim quæ jam propemodum fractæ ſunt, facile exinanitione auctâ qualibet penituſque exſolventur: corpus vero maxime emungitur liquaturque puris affluentiâ, ſive hoc ab effuſo ſero, ſive ut quidam autumare amant, et rationi magis conſentaneum videtur, a functione quâdam ſecretioni ſimillimâ ortum ſuum habeat; ſi quis igitur incommoda quæ certiſſimè debilitas affert, cum laudatis ſed non obviis externorum ulcerum utilitatibus bene conferat, cautus admodum ad ea confugiet.

Quæ opium habent tuſſim compeſcent, ſomnos faciles conciliabunt, ſymptomataque ſaltem ad tempus ſublevabunt, ſi prudens ea porrigas; ſin nimus inflammationi favebunt; exſcreationem imminuent, atrocioremque morbum efficient.

Balſamica, reſinoſa, oleoſa, et alia innumera expectorantia, quibus tantam fidem majores habebant,

habebant, omnino negliguntur; quippe quæ, ventriculo nocuisse, nihilque commodi attulisse, reperiebantur; multò plus utilitatis habent mucilaginosa cum opio mista.

Diarrhœa, jam provecto morbo, astringentibus et opio solummodo est mitiganda; sed sæpissime omnem curam contemnit, per intervalla recurrens, donec ad extremum exitium perveniat.

Doctrina hyperoxygenationis quæ ad variorum symptomatum rationem reddendam proponebatur, vix ullos habet hodiedum patronos, et minime discutienda sunt hujus opinionis argumenta, quæ ad rem nihil faciunt; non mirandum est tamen, celeber. ejus auctorem Beddoes rerum specie opinandique præjudicio deceptum, ad ea quæ doctrinæ suæ adversabantur non respexisse; hoc vero compertum habemus, gas oxygenium pulmonibus

esse

esse irritamento, aër igitur cui parcior sit oxygenii pars, phthisicis fortasse aliquod levamen afferet: non tanta nunc habetur quanta olim fides gassibus, quæ adversus phthisin efficacissima, et artem nostram ab opprobio suo vindicatura, celebrabantur: non tamen omnis laudis vacua judicanda sunt, eorum usu fortasse mitescent ea symptomata, quæ sæpissimè nulla medicina removere potest.

FINIS.

Some tight gutters